

Kilian Rudrauf Adam Schermer

Disputatio Inauguralis Theologica, De Libris Symbolicis Ecclesiae Gnsis Lutheranae

Giessae: Typis Academicis Kargerianis, 1686


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787612855>

Druck Freier  Zugang



106.

Fa-1092 (106.)



11.

4.

DISPUTATIO INAUGURALIS
 THEOLOGICA,
 DE
 LIBRIS
 SYMBOLICIS

ECCLESIAE ΓΝΗΣΙΩΣ LUTHERANÆ,

Quam

DIVINO NUMINE ADSISTENTE,

ET

AMPLISS. FACULTATE THEOLOGICA CONSENTIENTE,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Maximè Reverendi, Amplissimi atq̃ Excellentissimi,

DN. KILIANI RUDRAUFFII,

SS. Theologiæ DOCTORIS Famigeratissimi,

ejusdemque in Illustri Giessensi PROFESSORIS Publici Meritiss.

Ecclesiastæ itidem vigilantissimi & Pædagogiarçhæ gravissimi,
 Theologi de Ecclesia Christi optime meriti,

Domini, Fautoris atq̃ Promotoris, sui æstumatissimi,

PRO

LICENTIA

Titulum, Jura & Privilegia, DOCTORIS ritè consequendi,

DNN. PROFESSORUM Examine submittit

M. ADAMUS SCHERMER,

Ad D. Mariæ apud MINDENSES Pastor Primar.

Die Martii, Anno 1686.

GIESSÆ, Literis Academicis KARGERIANIS.

36
 3
 6.
 7.
 8
 2
 2
 9.
 27.
 10.
 11.
 12.
 13.
 14.
 15.
 17.

DISPUTATIO INAUGURALIS
THEOLOGICA

LIBRIS

SYMBOLOGIS

REGULAE ET ENIMUS LITTERARUM

DAVIDO WILHELMO ADRIANO BOWE

AMPLISS. FACULTATE THEOLOGICA CONSENTIT

DAVID WILHELM ADRIAN BOWE

THEOLOGICAE DOCTORIS CANDIDATUS

CONFERENTIAE THEOLOGICAE PRAESIDIUM

THEOLOGICAE FACULTATIS

DOMINI EMILII ADRIANI BOWE

LICENTIA


THEOLOGICAE FACULTATIS

M. ADAMIUS SCHERRER

ADAMII SCHERRER

ADAMII SCHERRER

ADAMII SCHERRER



ADSIS O JESU AMEN!

DE SCRIPTIS SYMBOLICIS
ECCLESIIARUM ΓΝΗΣΙΩΣ
LUTHERANARUM.

CAPUT I.

De Scriptis Symbolicis in genere.

§. 1.

Scripta Symbolica dicuntur quia Symbolum sunt, id est, tesserae instar militaris sive indubitata nota, qua Orthodoxi ab Heterodoxis, Schismaticis & Hæreticis, discernuntur.

§. 2. Quanquam autem nullum sit dubium, Scripta hæc Symbolica in omnibus cum Scriptura Sacra & ea Canonica quam accuratissime consentire, non unum tamen inter hanc & illa remanet discrimen. Scilicet (1) Scriptura Sacra est unica, immota & plane infallibilis, omnium Controversiarum fidei regula; Scripta vero Symbolica ad hanc tanquam solam & indubitata regulam dijudicanda veniunt. (2) Scriptura Sacra est *αὐτόμητος* & fidem meretur propter se; Scripta vero Symbolica non propter se fidem merentur, sed quia ex ipsis Scripturæ sacræ visceribus sunt decepta, & cum illa omnino conveniunt. (3) denique Scriptura Sacra est infallibilis omnium & singularum Controversiarum fidei Judex; Scripta Symbolica vero non Judicis sed testium saltem sunt loco.

§. 3. Quare si aliqua discrepantia, imprimis quod ad fidei articulos fundamentales, inter Scriptum Symbolicum & ipsam Scripturam Sacram posset demonstrari, à Scripto isto Symbolico merito recedendum esset.

A

§. 4. In-

§. 4. Innuunt idipsum ipsi Formulæ Concordiæ Autores eam hunc in modum exordientes: *Credimus, confitemur & docemus, unicam regulam & normam, secundum quam omnia dogmata, omnesq; Doctores estimari & judicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam Prophetica & Apostolica scripta, cum Veteris tum Novi Testamenti, sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis. Et Divus Paulus inquit: Etiam si Angelus de Cælo aliud predicet Evangelium, anathema sit, reliqua verò sive Patrum sive Neotericorum scripta, quocunq; veniant nomine, sacris literis nequaquam sunt equiparanda, sed univèrsa illis ita sunt subjicienda, ut alia ratione non recipiantur nisi restium loco, qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa Prophetarum & Apostolorum sincerior conservata sit.*

§. 5. Manet autem, hisce omnibus non obstantibus, magna & eximia Scriptorum Symbolicorum Autoritas, quæ auctoritati scripti cujusque privati, licet alias orthodoxi, longe lateque anteponenda est. Idque eo magis, quia non tantum multorum & eruditione & pietate Excellentium Theologorum studio & labore ex ipsa Scriptura Sacra sunt concinnata, sed quia etiam totius Ecclesiæ consensu approbata & recepta. Quemadmodum autem integrarum Ecclesiarum, in quibus tot & tam multi reperiuntur Viri Excellentissimi, auctoritas major est quam unius alicujus Viri privati; Ita dubium non est, majorem esse auctoritatem alicujus Confessionis publicæ, multorum Excellentissimorum studio & opera ad normam verbi divini conscriptæ, & ab integris Ecclesiis approbatæ, quam scripti à privato quodam Autore confecti. Præterquam enim quod ipsa ratio dicitur, plus esse tribuendum judicii multorum Virorum Excellentium quam judicio unius, quippe unus Scriptor facilius quam multi in scribendo errare potest, præterquam quod ipsa ratio, inquam, hoc dicitur, Christus expresse etiam Matth. 18. promisit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine ipsius, se in medio illorum futurum.* Quod sane non de præsentia universalis sed speciali & gratiosa, singularem Spiritus sancti assistentiam & cooperationem importante, est interpretandum.

§. 6. Cœ-

§. 6. Cœterum, si inter se conferuntur *Scripta Symbolica*, patet ea duplicis esse generis. Quædam enim sunt *Vetera & Universalia*, quædam vero *recentia & particularia*.

§. 7. *Scripta Symbolica Vetera & Universalia* sunt illa, quæ ab universa Christi Ecclesia, per totum terrarum orbem dispersa, unanimi consensu approbata & in hunc usque diem, contra omnes infensissimi generis humani hostis machinas, sunt conservata, ita ut neque hodie aliqua Ecclesiæ pars reperiatur, quæ illorum autoritatem non agnoscat.

§. 8. *Scripta vero Symbolica recentia & particularia* sunt illa, quæ superiori tantum seculo, Ecclesiarum quarundam particularium nomine, sunt edita, neque etiam ab omnibus & singulis, sive tota & universali Christi Ecclesia, sed tantum à quibusdam particularibus hætenus fuerunt recepta & agnita.

§. 9. Ad priorem Classem spectant tria illa *Symbola Occumenica, Symbolum Apostolicum, Nicanum & Athanasianum*. Ad posteriorem autem *Augustana Confessio invariata, ejusdem Apologia, Articuli Smalcaldici, Catechismus uterq; Lutheri, & deniq; Formula Concordia*, sunt referenda.

§. 10. Et hoc ipsum discrimen præter Formulam Concordiæ omnes semper agnoverunt Theologi. Ex multis unicum adducam *Hutterum* cujus verba in *Explicat. Formul. Concord. pag. m. s.* ita sonant: *Quoad posterius discrimen, quod Scripta Ecclesiastica sive Symbolica inter se confert, non unius ea generis & autoritatis esse, Concordia docet. Quæ enim Symbola universalis sive totius Ecclesiæ consensu & calculo sunt approbata & confirmata, ea longe majorem etiam autoritatem obtinent præ reliquis Symbolis, quæ paucarum tantum quarundam particularium Ecclesiarum sunt propria. Quanquam bene adhuc notandum, Scripta Symbolica recentia & particularia reliquis postponi non ratione certitudinis, nullus enim nostratum dubitat illa in sacro Codice tam fundata esse quam quod in illo est fundatissimum, sed ratione autoritatis & antiquitatis, dum vetera & universalia in prioribus seculis ab universo Credentium cœtu, recentia vero & particularia, post longum temporis intervallum, à quibusdam tantum particularibus Ecclesiis calculum acceperunt.*

§. II. Denique quemadmodum commemorata modò Symbola, in genere si spectantur, inter se differunt; ita aliqualis adhuc reperitur differentia inter Symbola recentia & particularia in specie. Inter hæc præ cæteris, tanquam sol inter stellas, eminet *Augustana Confessio invariata*. Quippe quæ (1) omnium Protestantium unanimi consensu conscripta. (2) In Comitiiis Augustanis Carolo Quinto solennissimè, præsentibus omnibus Imperii Statibus, exhibita & denique (3) etiamnum ab omnibus Ecclesiis Lutheranis agnoscitur & pro Scripto Symbolico æstimatur. De quibus omnibus simul sumptis reliqua gloriari vix possunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Scriptis Symbolicis veteribus & universalibus.

§. I. DE Scriptis Symbolicis in specie acturis primum nobis Occurrunt *Symbola Vetera & Universalia*, & inter hæc *Symbolum Apostolicum*. Quod secundum rem ipsam & materialiter consideratum ipsa Apostolorum dogmata complectitur. Num vero secundum verba & formaliter spectatum ab ipsis Apostolis sit profectum de eo admodum variant Eruditorum Judicia. *Ruffinus in Expositione Symb. Apost. que inter Opera S. Cypriani Martyris fol. 249. reperitur, Genebrardus lib. 3. de Trinit. pag. 204. Edit. Paris. anno 1585. Gilbertus Commentar. in Symbol. Apostol. pag. 10. Sixtus Senens. Biblioth. Sacr. lib. 2. Voce Apostol. Baron. ad annum Christi 44. aliique quam plurimi nullatenus dubitant, quin & secundum rem & secundum verba, ipsis Apostolis suam debeat originem.*

§. 2. Argumenta quibus innituntur partim à Symboli hujus appellatione, dum *Apostolicum* dicitur, partim à Majorum & nonnullorum Patrum traditione sunt deducta.

§. 3. Verum enim vero, quod primum attinet, Symbolum hoc *Apostolicum* dici potest, non quod ipsos Apostolos habeat Autores; sed quia Epitomen, Compendium & summam, totius Apostolicæ doctrinæ, ut loquitur *Brentius in Explicat. Symbol. p. 82.*

p. 82. continet. Quod vero Majorum & nonnullorum Patrum traditionem atinet, ex prioribus quatuor seculis constat ne unicum quidem, & eum genuinum & spectatae fidei ac probitatis produci posse autorem, qui Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis compositum affirmet. *Genebrardus loc. sup. cit.* allegat quidem *Clementis Rom. Epistolam priorem ad Jacobum* ubi ait: *Christo resurgente & ascendente in Caelum, misso Sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi, Symbolum quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unusquisq; quod sensit dicendo condiderunt; ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes predicarent.* Sed sufficit nosse has Epistolas *Clementis Romani ad Jacobum* spurias & supposititias esse. Id quod praeter ceteros *Rivet. in Critic. Sac. Gerhard. in Patrolog.* quin imo ipse *Bellarmin. de Scripturis Ecclesiast.* jamdudum multis solide evicerunt.

§. 4. Accedit quod adductae de Autoribus Symboli Apostolici sententiae valde etiam contrarietur (1) quod neque Lucas in Actis, neque Apostolorum quispiam in Epistolis, neque ex omnibus illis qui Apostolis vel coetanei fuerunt, vel illorum tempora immediate sunt secuti, ullus haecenus fuerit adductus, qui hac de re vel unicum saltem verbum protulerit. (2) quod stante hac sententia sequeretur esse aliquod scriptum *ἑὸν πνεῦμα* & tamen non contineri in sacro Codice. (3) quod Symbolum hoc aliis verbis recitatum fuerit ab Irenaeo, aliis à Tertulliano, aliis in Ecclesia Romana, aliis etiam in Ecclesia Orientali Graeca; quod sane factum non fuisset, si ipsos Apostolos Autores agnosceret. Quis enim quaeſo! tantam sibi arrogabit licentiam ut ipsa Apostolorum scripta corrigat? Quibus omnibus (4) etiam succenturiatum adest, quod inter illos, qui Symbolum Apostolicum ipsis adscribunt Apostolis, tantus reperiatur dissensus, quantus est inter Caelum & terram. α. enim dissentiant, num illud soli condiderint Apostoli? an vero praeter hos etiam CXX. viri, in quorum caetu Petrus concionabatur, ut legere est Act. I. v. 15. β. dissentiant, num quilibet Apostolorum certum ad Symbolum contulerit articulum? num vero in commune illud conscripserint? γ. etiam de tempore quo istud Symbolum sit com-

36
5
31
6
7
27
8
28
9
27
10
11
12
13
14
15
16
17

positum, disceptant. Sunt qui illud eo ipso anno contextum statuunt, quo Salvator noster est passus, sunt etiam qui id factum referunt ad annum Claudii secundum, qui à passione Dominica est decimus. Imo vero magnus etiam §. reperitur dissensus de fine, num scilicet sui causa Symbolum hoc conscripserint? ne per totum terrarum orbem dispersi in docendo dissentirent, an vero id factum Ecclesiæ ergò, ut hæc certam haberet formulam Catechumenis explicandam. De quibus variis & sibi invicem adversantibus sententiis pluribus egit *Gerhard. Johann. Voss. de Tribus Symb. Disput. 1. pag. 3. seq.*

§. 5. Hisce igitur omnibus accuratius paulo perpenſis non pauci, etiam Eruditissimorum Virorum, Symbolum, quod vulgò Apostolicum vocatur, ab Apostolis esse adornatum vel negarunt planè, vel ad minimum de eo dubitarunt. Negarunt id *Joh. Brentius in Exposit. Catechism. Daniel Chamierus in Opere de Controversis religionis lib. 9. de Canone, Cap. 10. & Joh. Calvinus lib. 2. Institut. cap. 16. §. 18.* Dubitarunt vero de eo *Erasmus Roterod. in præfat. ad Lector. paraphras. Matth. & Polydorus Virgilius lib. 5. de rerum Invent. cap. 13.*

§. 6. Id autem, si quod res est dicendum fuerit, videtur valde probabile, quod Episcopo cuidam & Clero Romano suam debeat originem, inprimis cum neque in Hierosolymitana, neque in Constantinopolitana, neque in Antiochena, neque in Alexandrina (Hæ enim sua peculiaria habuerunt Symbola) sed in sola & unica Romana Ecclesia antiquitus obtinuerit, ex qua subsecutis demum seculis ad alias Occidentis Ecclesias est derivatum, ut bene notat laudatus *Vossius* loc. cit. pag. 20 th. 24.

§. 7. Symbolum *Apostolicum* excipit *Nicanum*, quod ita dicitur quia in Synodo Nicæna, cui 118. intererant Episcopi, anno 325. Constantino Magno regnante est conditum. Quamvis in Concilio Constantinopol. anno 381. Theodosio Seniore Imperatore repetitum & auctum sit.

§. 8. Sunt non pauci, inter ipsos etiam Eruditissimos, statuentes: Synodum Constantinopolitanam Nicæno Symbolo sequentia tantum ad probandam Spiritus Sancti contra *Macedonium* divinitatem addidisse: *Dominum vivificantem, qui ex Patre*

Patre & Filio procedit, & qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur. Id quod videre licet in Appendicula Symbolorum subjuncta editioni Græca V. T. cum translatione Theodori Beza, quæ ab Henrico Stephano anno 1575. est procurata. ap. B. D. Gerard. Tom. I. Loc. Commun. in Controversia de Spiritu Sancto pag. 987. Beat. Meisnerum Disput. de Processu Spirit. S. pag. 6. &c. Sed conferamus unum cum altero & videbimus Synodum Constantinopolitanam alia plura, à Capite ad Calcem fermè, Nicæno Symbolo addidisse. Differentiæ causâ additamenta specialibus notabimus literis.

Symbolum Nicanum prout extat in Epistola Sancti Athanasii de Fide ad Imperatorem Iovianum & à Theodoret. Lib. I. cap. 12. & Socrat. Lib. I. cap. 5. citatur.

Credimus in unum Deum, Patrem omnium visibilibus & invisibilibus effectorem.

Et in unum Dominum Jesum Filium Dei, genitum à Patre unigenitum, hoc est ex Patris substantia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in coelo & quæ in terra, qui propter nos homines & propter

Symbolum Constantinopolitanum.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terra, visibilibusque omnium & invisibilibus.

Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum ante omnia secula, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de coelis,

pter nostram salutem descendit de Coelo, incarnatus est, homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad coelos, venturus iudicare vivos & mortuos.

Et in Spiritum Sanctum. Illis autem qui dicunt, tempus fuisse cum Filius DEI non erat & non ante fuisse quam nasceretur, & ex nihilo ortum esse, aut ex alia subsistentia vel substantia quam Patris constare, vel creatum esse, vel posse converti, mutative, Catholica & Apostolica Ecclesia indicit anathema.

§. 9. Tria igitur ex hac Nicæni & Constantinopolitani Symboli collatione elucescunt. (1) *Symbolum*, quod ab Autoribus librorum Symbolicorum aliisque quamplurimis *Nicanum* appellatur non male, ut etiam *D. Carp̄ov. Isagog. in Lib. Symb. p. 57.* notat, *Nicano-Constantinopolitanum* vocari. (2) *Patres Concilii Constantinopolitani* præter adducta verba: *Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit, & qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur* Nicæno Symbolo plura alia adjecisse. (3) *Pro-*
cessio-

coelis, & incarnatus est ex *Spiritu Sancto & Maria Virgine*, & homo factus est, qui pro nobis crucifixus est sub Pontio Pilato, & passus est & sepultus, & resurrexit tertia die secundum Scripturas & ascendit in coelos, & sedet à *dextris Patris*, & rursum venturus est cum gloria ad iudicandum vivos & mortuos, *cujus regni non est finis.*

Et in Spiritum Sanctum, *Dominum, Vivificantem, ex Patre procedentem, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & simul glorificatur, qui locutus est per Prophetas. In unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, expectamus resurrectionem mortuorum & vitam futuri seculi, Amen!*

cessionem Spiritus Sancti à Filio non à *Patribus Constantinopolitanis*, sed aliunde esse adjectam. Quis autem eam adjecerit, num *Damasus*? ut vult *Alexius Aristinus* teste *Genebrardo* in *tertio de Trinit.* num alius quispiam Romanorum Pontificum? quæ sententia est *Bellarmini lib. 2. de Christo Cap. 22.* cui adstipulatur etiam *Gerard. Job. Vossius*, qui in *Dissert. de Symbol. pag. 82. id Sergio III.* adscribit [addens *pag. 87.* Principem causam schismatis Græcæ & Latinæ Ecclesiæ non fuisse eam, quod occidentales Episcopi processionem Spiritus Sancti ex Filio statuerint, sed quod Episcopus Rom. vel Synodus Occidentalis rem hanc controversam in consultis Orientalis Ecclesiæ Episcopis definitisset, atque ita Concilio Oecumenico secundo præjudicare & Symbolo Catholico inferere fuisset ausus, quæ tamen ab ipso Concilio Oecumenico non fuerant addita] suo jam relinquimus loco.

§. 10. Sequitur *Symbolum Athanasianum*, de quò maxima *S. Ath.* inter Eruditos est contròversia, cuinam sua debeat primordia? Communiter quidem *Athanasianum* appellari putant ab *Athanasio Alexandrina Ecclesiæ Patriarcha*, qui omni nisu Arianis sese opponens maximas perpeffus est persecutiones, easque propter per Universum Christianum orbem quam maximum sibi comparavit nomen. Statuunt hoc *Suarez. de Fide Disp. 2. Sect. 5. num. 5.* *Possevinus in Apparatu in Vocab. Athanasius fol. 125.* *Bellarmin. in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. Baronius in Annalib. ad annum Christi 340.* & ad unum omnes ferme Papicole, quorum constans sententia eo collimat, *Symbolum* hoc lingua Latina ab *Athanasio* esse confectum, quando Romam à Julio Papa fuerat citatus, ut Papæ ceu Universali & Oecumenico Episcopo sese submitteret, prout etiam ex nostratibus *D. Christianus Matthias lib. 4. de Monarch. pag. 318. id recitat.*

§. 11. At suspexam nonnullis reddiderunt hanc sententiam (1) quod in antiquis operibus Athanasii manuscriptis *Symbolum* hoc plane non reperiatur. Excipit quidem *B. Carpzov. in Isagog. Lib. Symbol. p. 73.* unicum exemplar, sed illud Auctoris nomen non habuisse adscriptum ex *Sculcteti Medulla Patrum* statim addit. Meminit etiam *Petrus Felmannus Coronans*

in Variantibus Athanas. Lektionibus, Commeliana Editioni subje-
ctis, se incidisse in Codicem quendam Bibliothecæ Palatinæ, ubi
illud cum præfixo Athanasii nomine invenerit, verum, quem-
admodum una Hirundo non facit ver; ita neque unum Codi-
cem, manu fortean recentiori descriptum, satis persuadere pos-
se illud ipsum in vetustissimis etiam Codicibus reperiri putat
Job. Gerard. Voss. loc. cit. (2) Quod neque Athanasius ipse in Epi-
stolis de fuga sua contextis, neque Gregorius Nazianzenus, qui
eodem vixit seculo, ac in laudem Athanasii insignem conscripsit
Orationem, neque ullus alius Scriptor coætaneus hujus Sym-
boli faciat mentionem (3) quod Symbolum hoc primitus Latine
videatur conscriptum, id quod inde patet, quia Latine editiones
exactissime conveniunt, Græcæ vero admodum inter se discre-
pant, cujus discrepantiæ causam vix aliam dari posse autumant,
quam quia Græcæ à variis esset translatum.

§. 12. Quibus omnibus accuratius paulo consideratis, non
pauci Symbolum hoc *Athanasianum* vocari statuunt, non quod
ab Athanasio vere fuerit conscriptum, sed quia summam fidei
Athanasiana complectatur & ex illius Scriptis sit concinnatum,
non secus ac Symbolum Apostolicum ita nuncupari diximus,
quia summam fidei Apostolicæ continet, cui sententiæ calcu-
lum suum adjecisse videtur B. D. Musæus in Colleg. Manuscript.
super Formul. Concord. Joachim. Camerar. in Catena Græc. pag. 297.
Meisner. Disput. 3. Præcognitor. Theol. Theorem. 20. Pelargus in
Schola fidei, & ipse denique Genebrardus Papista in Præfatione
Commentarii sui in Symbol. hoc ita scribens: *Quid angor Atha-
nasiusne scripserit an alius? Modo pro certo habeam, eo concipi qua
non solum vera sunt, verum etiam ut credantur ad salutem plane
necessaria. Quanquam igitur non esset in hanc formam redactum
ab Athanasio; tamen manifestum est continere Symbolum hoc doctri-
na Athanasii corpus universum, quam tot periculis, per totum or-
bem, ad extremum usque halitum, adversus Arianos, solus prope-
modum Episcoporum, ista tempestate, defendit, ut jam recte nomen
propugnatoris Athanasii vel hac una de causa obtinere debeat.*

§. 13. Nos in præsentiarum hanc litem non faciemus no-
stram, moti quod unicum testimonium affirmativum plus pon-
deris

deris habeat, quam negativa infinita, factum enim omnino est quod vidit unus, non autem indubitato non factum quod vel infiniti non viderunt, unde dubium adhuc videtur, annon potius laudati Symboli omiffio, quam ejusdem expressio corruptela fit vetustorum exemplarium.

CAPUT TERTIUM.

De Scriptis Symbolicis recentioribus & particularibus.

S. I. **I**nter Symbola recentia & particularia primum locum obtinet *Confessio Augustana invariata ejusque Apologia*. Dicitur (1) *Confessio* quia fidei & doctrinae est Confessio, quam anno 1530. Protestantes Carolo V. exhibuerunt, hunc in finem, ut ostenderent se in doctrina ac ceremoniis nihil contra *Scripturam aut Ecclesiam Catholicam* haecenus statuisse, ut habent ipsa *Augustana Confessio* verba pag. 20. & 46. sed omnipotius studio eo contendisse, ne nova & impia dogmata in Ecclesiam irreperent. Dicitur (2) *Augustana* quia Augustae Vindelicorum in ipsis Comitibus Imperatori est exhibita, & contradistinguitur hac ipsa denominatione Confessioni, quam *Martinus Bucerus* nomine IV. civitatum Zvinglii doctrinae adherentium conscripsit, & quam *Casparus Hedio* *Ecclesia Argentinensis Doctor* exhibuit quidem, sed Imperator & Status neque acceperunt neque perlegerunt, ut refert *Sleidanus* lib. 7. de *Statu religion.* *Chytraeus* in *Historia August. Confession.* p. 678. & *Lavaterus* in *Histor. de ortu & progressu Controversia Sacramentaria ad annum Christi 1530.* pag. 15. Dicitur (3) *Invariata* ad differentiam Confessionis variatae, quam *Philippus Melancthon* decennio post in gratiam Reformatorum proprio ausu & motu immutavit, expungendo inter caetera in Articulo X. de S. Coena vocabulum *Verè, verè adsint & distribuuntur*, item verba *improbant secus docentes*. Ut nihil jam dicamus de aliis Articulis, qui ita sunt interpolati ac deturpati, ut Pontificiis non obscure videantur patrocinari. Verbi causa de Articulo quarto, in quo continetur error de Evangelio arguente

36
3
6
7
8 29
28
9 27
11
13
14
15
17

guente peccata, qui error etiam in quinto Articulo mutatae Confessionis deprehenditur, nec non de Articulo decimo octavo, ubi semina *συνεργειας* sive cooperationis in ipso conversionis actu & opere sparguntur.

§. 2. Videtur autem Philippo ansam præbuisse ad hanc mutationem *Colloquium Wormatiense*, quod eo ipso anno, quo mutata hæc Confessio prodiit, nempe anno 1540. fuit institutum, & postea anno 1541. Ratisbonam translatum. Erat enim in Colloquio illo Philippi Collega Martinus Bucerus, in quibusdam Reformatorum addictis partibus, quo etiam in Comitii Augustanis familiarissime usus fuerat, & quia Reformati præcipue de X. Augustanæ Confessionis Articulo conquerebantur, imo ex ipsis etiam Politicis multi in ea erant sententia, si Articulus X. paulò mitioribus proponeretur verbis, fore ut Helvetii etiam Augustanæ Confessionis subscriberent, persuasus est Philippus ut eum, eo quo supra diximus modo, mitigaret. Quamquam in ipsis etiam Comitii Ratisbonensibus, ut refert *Wolfius in Histor. Augustan. Confess. ad annum Christi 1540. & 1541. & Gravverus in Prælect. Acad. super Augustan. Confess. p. m. 142.* coactus est illum restituere. Quo tamen non obstante successu temporis factum, ut *Confessio variata*, prout anno 1641. à Philippo erat edita, à Theologis, præsertim Electoralibus, Ecclesiis obtruderetur, & controversia de diversis Augustanæ Confessionis editionibus moveretur, donec tandem in *Formula Concordiæ* quaestio ita fuit decisa, ut *prima & invariata* pro Symbolo & Confessione publica Ecclesiarum Protestantium, *altera vero & variata* pro scripto quodam privato haberetur.

§. 3. Cæterum, cum *Augustana Confessio* exhibita esset *Carolo Quinto*, jussu Imperatoris à Pontificiis Theologis, qui Comitii Augustanis intererant, adornata fuit confutatio eaque Statibus publicè prælecta. Quoniam autem Protestantibus ejus copia denegabatur, *Philippus Melancthon* & cæteri Theologi, quæ ex Confutationis illius prælectione assequi potuerant, peculiari quadam *Apologia* conati sunt refellere. Hæc *Apologia* initio admodum succinctè erat conscripta, sed *Philippus* postea multa adjecit eamque auctiorem edidit. Unde etiam à nonnullis

lis

lis putatur *Apologiam*, prout nunc extat, non esse ejusdem cum *Augustana Confessione* autoritatis, propterea quod *Augustana Confessio* omnium Protestantium consensu conscripta & Imperatori Carolo Quinto exhibita, *Apologia* autem à *Philippo Melanchtone*, quemadmodum ipse in præfatione fatetur, privato ausu aucta & adornata, ut taceam quæ ambigue in eadem continentur & obscurius dicta, v.c. quod Evangelium sit *Concio penitentia* & quod tria dentur *Sacramenta*. Sed quicquid de eo sit, sufficit *Apologiam*, iis quibus nunc extat formalibus, unanimi Ecclesiarum Augustanæ Confessionis consensu approbatam, & quæ vel ambigue vel obscurius sunt dicta alibi esse explicata dextre.

§. 4. De *Apologia versione Germanica*, quæ *Iusto Jona* debetur tribus monemus: Eam pro Authentica *Polycarpo Lysero* adversus *Hofmannum* non haberi; cum magna libertate usus sit in vertendo *Jonas* & à textu ipso multoties longius discesserit.

§. 5. *Augustanam Confessionem* ejusdemque *Apologiam* sequuntur *Articuli Smalcaldici*. Dicuntur *Smalcaldici* à loco, quia *Smalcaldia*, quæ oppidum est in finibus Saxonici & Hasiaci territorii situm, à *Luthero* sunt conscripti, & à Protestantium Theologis, quorum nomina in calce exhibentur, postmodum approbati.

§. 6. *Causa* conscriptorum horum *Articulorum* erat *Concilium Mantua* celebrandum. Cum enim in ipsis Comitibus Augustanis Protestantes ad universale, legitimum & liberum, provocassent Concilium, Imperator etiam se omnibus viribus operam daturum, ut quamprimum istiusmodi Concilium conveniret, promississet, *Pontifex Paulus III.* tandem Concilium indixit *Mantua* habendum. Quamvis autem Protestantibus multa erant in promptu, quæ circa hoc Concilium jure meritoque excipiebant, & quapropter Concilio interesse aut illud pro legitimo habere haud poterant, scilicet: Quod in loco minus tuto erat celebrandum, & quod Pontifex & Actoris & Judicis partes conabatur suscipere, ut prolixius id refert *Sleidan. Commentar. de Statu Religion. lib. XI.* nihilo tamen minus jussu *Electoris Saxonie* & reliquorum *Protestantium Principum Smalcaldia* tunc temporis

36
3
6
7
8 29
28
9 27
10
11
12
13
14
15
16

poris congregatorum *Lutherus* prædictos conscripsit Articulos, hunc in finem, ut impostero Concilio quocunque loco habendo possent exhiberi, & ut ex illis constaret quid & quatenus Pontificiis cedere & in quibus Capitibus constanter perseverare & volebant & poterant Protestantes; ut ipsa habet *Lutheri* Præfatio Articulis hisce præmissa.

§. 7. Non tantum autem *Lutherus* laudatos Articulos Protestantium jussu conscripsit, sed quum spes omnis Concilii futuri collapsa esset, tandem etiam eos publicavit, idque (1) ut perpetua & constans doctrinæ *Lutheri* Confessio essent, & ut post illius obitum etiam testimonium extaret doctrinæ, in qua constanter permanerat. (2) ut cum Papistis tum aliis quoque Heterodoxis os obturaretur, quippe qui, *Luthero* adhuc superstitite, varia contra illius doctrinam & Scripta producere & allegare non erubescerent. Quapropter ipsis etiam Statibus non displicuit inter libros suos Symbolicos Articulis hisce locum concedere, & velut partem Symbolico libro inferere. Quare de re Consilia hinc inde acta legi possunt apud *Hutterum* in Concord. Concord. cap. XI. p. 303. cap. XIII. p. 432. & cap. XI. X. p. 537.

Catech. etc.

§. 8. Nos interim ad utrumq; Catechismum *Lutheri* majorem & minorem pergimus. Dicitur Catechismus à verbo *κατηχησις*, quod est à præpositione *κατά* & *ἡχῆν*, quod interpretamur voce sonare, insonare, personare & significat, sensu Ecclesiæ, ipsum informandi actum, quo prima doctrinæ Christianæ Elementa reciproco sono traduntur, ita ut docens ea discipulis proponat, & horum postmodum responsiones exigat. Hoc loco autem improprie sumitur & notat ipsum libellum, quo Elementa doctrinæ Christianæ, prout in informatione ista proponi & reddi debent, exhibentur. *Lutheri* Catechismus, non quod *Lutherus* primus Catechismi inventor & autor fuerit, novimus enim Catechizandi ritum jam tum in primitiva Ecclesia in usu fuisse, ubi peculiare Catecheta seu Catechista erant, qui Catechumenos & rudiores viva voce informare tenebantur, ceu ex ipsa Scriptura Sacra *Gal. VI. v. 6.* liquet; Sed quia Catechismum in reformationis opere, ipsi divinitus demando, instauravit, colligens scilicet summam doctrinæ, prout olim publicè erat tradita, tali ordine.

ordine, ut *Iustus Jonas* teste *Carpzovio* in *Isagog. Libror. Symbol.* pag. 943. non sine causa de eo dixerit: *Credere se Spiritum Sanctum hunc ordinem B. Luthero dicitasse. Minor* autem dicitur & *Major Lutheri Catechismus*, quia duplicem edidit Catechismum, inter Libros Symbolicos postea relatum. *Breviorem*, in quo summam doctrinæ in perbreve redegit compendium, & *Uberiorem*, in quo uberius & prolixius illam explicavit.

§. 9. Utilissimam autem *Lutherus* in excudendo utroque Catechismo Ecclesiæ nostræ operam præstitit, dum rudioribus facillima methodo & brevissimis Capitibus Compendium quasi exhibuit totius doctrinæ Christianæ ad salutem scitu & creditu necessariæ. Id quod publici Ecclesiæ nostræ Status in Epitome Formul. Concord. pag. 571. ita expresseferunt: *Profitemur publicè, nos etiam amplecti majorem & minorem Doctoris Lutheri Catechismum, ut ii Tomis Lutheri inserti sunt: Quod eos quasi Biblia Laicorum esse censeamus, in quibus omnia illa breviter comprehenduntur, qua in S. Scriptura fusius tractantur, & quorum cognitio homini Christiano ad salutem æternam est necessaria.* Et quamvis fuerint, qui *Majorem Catechismum* pertraxerint, illum successu temporis esse depravatum, certissimi tamen sumus Calumniatores hosce præter verba nihil hætenus protulisse. Res omnis sic sese habet: Prædierunt in publicum duæ diversæ Tomorum Lutheri editiones, una *Jenensis* antiquissima & purissima, altera *Wittebergensis* recentior & multis in locis depravata: Jam Theologi Orthodoxi Catechismum Lutheri Libro Concordiæ ipsis illis verbis inseri curarunt, quibus extat in Jenensi editione, alii vero eum compararunt cum depravata editione *Wittenbergensi*, & quia ab hac nonnullis in locis differt, vociferati sunt Lutheri Catechismum Libris Symbolicis insertum esse depravatum, ut habet *Hutter. in Concord. Concord. p. m. 1452.*

§. 10. Tandem *Librorum Symbolicorum* agmen claudit *Form. Concord.* solida, plana ac perspicua repetitio & declaratio quorundam *cord.* Articulorum Augustanæ Confessionis, vulgo *Formula Concordiæ* dicta. *Formula* idem quod *exemplar* notat secundum quod aliquid fit. *Concordiæ* autem vox cordium conjunctionem significat, & hoc loco non pro pace politica aut œconomica accipitur.

36
5
3
6
7
8 29
28
9 27
11
12
13
14
15
17

cipitur, sed Ecclesiasticam notat, quæ inter Ecclesiæ *ymolus* Lutheranæ addictos facta fuit, & in *Christo*, qui *veritas & via* est, unice fundatur. Itaque *Formula Concordia* proponit nobis exemplar ad quod dissidia Ecclesiastica, infelici sidere tunc temporis orta, composita & Ecclesiæ Protestantium in varias partes alias distractæ ad Concordiam redactæ sunt.

§. 11. Dupliciter autem *Formula Concordia* accipi solet. (1) *Generaliter* pro toto corpore Doctrinæ, in Ecclesiis Saxonie superioris & aliis recepto, cui titulus *Concordia*, id est pia & unanimi consensu repetita Confessio Fidei & Doctrinæ Electorum, Principum & Ordinum Imperii, atq; eorundem Theologorum qui Augustanam Confessionem amplectuntur, & hoc pacto omnes Libros Symbolicos continet à nobis hactenus adductos. (2) *Specialiter* pro exemplari doctrinæ, quo articuli quidam, de quibus inter ipsos Augustanæ Confessioni addictos Theologos concertatum fuit, ex verbo DEI declarantur & deciduntur, & hoc sensu iterum complectitur (α) articulorum illorum Epitomen quandam & (β) eorundem uberiolem & solidiorem explicationem.

§. 12. Conscripta est hæc *Formula Concordia* jussu & Auctoritate *Electoris Saxonie Augusti*, occasionem præbentibus variis controversiis inter ipsos Augustanæ Confessionis Theologos, non sine maximo Ecclesiarum Evangelicarum damno, agitatatis. Cum enim laudatus Elector anno 1576. in arce *Lichtenberg*/ad *Albim* sita, duodecim Theologos convocasset, ut de mediis ad reparandam in Ecclesiis Evangelicis concordiam deliberarent, hi autem inter alia proponerent: *Conventum Theologorum* esse instituendum, qui si fieri commode posset, in præsentia Electorum & Principum secundum normam & Canonem Scripturæ Sacræ & Librorum Symbolicorum controversias hactenus agitatas considerarent, & quid cum Scriptura Sacra & Libris Symbolicis conveniret, quid minus, docerent, *Elector Saxonie* de alio convocando Theologorum, etiam exterorum, conventu cogitationes suscepit, adhibitis etiam in Consilium Principibus aliis. Proinde mense Junio anno 1576. quamplurimi sunt vocati Theologi, qui peculiari aliquo Scripto controversos

troversos tunc temporis Articulos, tum in thesi tum etiam in anti-
thesi, perspicue, nervose & erudite, pertractarent, scriptumque
Electori Augusto exhibuerunt, hunc in finem: ut reliquorum Ele-
ctorum, Principum atque Ordinum Augustanam Confessionem
amplectentium judicia & censuras de illo expeterent, & sic com-
muni omnium istorum Ordinum approbatione liber iste tandem
in publicum prodiret. Transmissis igitur variis censuris de libro
Torgæ concinnato *Serenissimus Elector Saxonia* novum indixit
Theologorum conventum, in quo sex Theologi convenerunt,
D. Jacobus Andrea, *D. Andreas Musculus*, *D. Martinus Chemni-
tius*, *D. Christophorus Cornerus*, *D. Nicolaus Selneccerus*, & *D. Da-
vid Chytraus*, Hi perlectis singulis censuris & probe ponderatis
Concordiæ librum tandem ad finem perduxerunt. Qui etiam,
antequam imprimeretur à tribus S. Romani Imperii Electoribus,
à Principibus XXI, Comitibus XXII, Baronibus IV, Civitatibus
liberis XXXV, & Ministris Ecclesiæ, ut refert *Dominus Licent.
Placcius de Scriptis & Scriptoribus Anonymis* pag. II. octies mille
fuit subscriptus. Conf. si placet *Hutterum in Concordia Concord.
Osand. Historiam Eccles. Fellerum in continuat. Lati, Kipp. in Sup-
plem. ad Papp. &c.*

§. 13. Edita autem est *Formula Concordiæ* hunc in finem (1)
ut sublatis religionis dissidiis pax & tranquillitas Ecclesiis Augu-
stanam Confessionem amplectentibus redderetur (2) ut Pontifi-
ciis ansa calumniandi præscinderetur, quasi ab Augustana Con-
fessione Protestantes recesserint, quippe qui plus quam temeraria
audacia spargere non erubescabant, non esse tres Augustanæ Con-
fession. Ministros inter consentientes (3) ut de fide suspecti &
hinc inde latitantes in lucem protraherentur, iisque præcludere-
tur omnis rima elabendi, utpote qui sub spuria & va-
riata confessione latebras quære-
bant.

C

QUE.

CAPUT QUARTUM.

De *Questionibus nonnullis circa Libros Symbolicos occurrentibus.*

Quæritur I. Num Libri Symbolici *ἑὸν ὄσος*, & eandem cum Scriptura S. habeant auctoritatem?

ITA nos statuere *Admonitio Neostadiensis à Zacharia Ursino Neostadiensi Theologo* conscripta, calumniatur. Verum *Autores Formulæ Concordiæ* longe aliud in præfatione contestati sunt, dum discrimen Scriptorum, quibus in Ecclesia utimur, omni studio inculcarunt, & quid inter Scripturam Sacram & Libros Symbolicos discriminis sit aperte ostenderunt. Concedo quidem *Formulam Concordiæ à B. Huttero in Prolegom. Cap. 1. pag. 1. ἑὸν ὄσος* titulo fuisse exornatam, sed Catachrestica hæc est locutio, à qua merito, propter nonnullorum calumnias, est abstinendum. Nam *ἑὸν ὄσος* non tantum res & objecta respicit, sed ipsa etiam verba & modum communicandi, & ejusmodi Scriptum indicat quod *immediato Spiritus Sancti* afflatu est conscriptum, de quo, præter solam & unicam Scripturam Sacram, nullus alius liber in æternum poterit gloriari. Id quod ipse etiam *B. Hutterus* quam lubentissime agnoscit, *Formulam Concordiæ ἑὸν ὄσος* quidem vocans, interim tamen expressam hanc addens cautelam: *Eo servato discrimine, quod Scripturis Sanctis Symbolicis sive Ecclesiasticis invicem intercedit.*

Quæritur II. Num Libri symbolici recte *Norma fidei & doctrinae* dicantur?

Norma vocabulum Libris Symbolicis imponit præfatio ab omnibus Electoribus & Statibus Imperii iisdem præfixa. Ita enim expresse ibidem legitur: *Nec etiam alia Scripta utilia D. Philippi Melancthonis, neq; Brenii, neq; Urbani Regii Pomerani, & similia*
repu-

repudianda & damnanda esse iudicamus, quatenus cum ea Norma, qua Concordia libro expressa est, per omnia consentiunt. Quam loquendi formulam etiam Theologi in Conventu Lichtenbergensi in peculiari ad Serenissimum Saxoniae Electorem Augustum epistola, à B. Hüttero in Concord. Concord. pag. 78. adducta, adhibuerunt; Sed bene hic cum B. Himmelio in Colleg. contra Alsted. & D. Königio in Casibus Conscient. p. 690. distinguendum est: Inter Normam normantem & normam normatam, item inter normam primariam & secundariam, nec non inter normam universalem & particularem. Norma normans, primaria & universalis est sola & unica Scriptura Sacra. Norma autem normata, secundaria & particularis sunt Libri Symbolici non quidem omnibus & singulis, sed illis tantum qui Augustinam Confessionem agnoscunt & cum illa facere volunt. Si de omnibus & singulis sermo erit, rectius distinguendum puto: inter normam directionis sive decisionis & discretionis, ita ut illa Scripturam Sacram, hæc autem Libros Symbolicos notet.

III. An Symbolum Apostolicum omnia contineat ad salutem scitu creditur, necessaria?

Ita nonnulli, quorum verba Dn. D. Calov. in System. Theolog. part. 1. pag. 236. adducit, statuunt quidem, docentes illos tantum pro Hæreticis esse habendos, qui dogma aliquod fidei, Symbolo Apostolico propositum, positivè & directè negant, reliquos autem, qui Symbolum Apostolicum factum tectumque servant, pro fratribus esse agnoscendos in Christo. Sed erroneam esse hanc sententiam vel inde luce meridiana clarius elucescit, quod multi reperiantur articuli summe necessarii, de quibus in Apostolico Symbolo explicite ne xp^{us} quidem extat. v. g. Articulus de Universalitate gratiæ divinæ & universali Christi merito, de Justificatione seu ratione consequendi vitam æternam, & qui sunt id generis alii, qui tam arctam cum salvifica fide habent connexionem, ut illorum si non ignorantia, ad minimum tamen simplex negatio hæresin pariat. Ut taceam Ecclesiam primitivam in damnandis hæresibus non ad Symbolum Apostolicum, sed ante omnia & primario

maris ad Scripturas, Propheticas & Apostolicas [*confer Theodor. Hist. Eccles. Lib. 1. Cap. 7.*] provocasse. Quemadmodum etiam multa dogmata, utpote *Simoniorum*, qui conjugium, & *Severianorum*, qui in sacra cœna usum vini respuebant &c. anathemati subjecit, quæ Symbolo Apostolico plane non contrariantur.

IV. *Num Symbola particularia paucorum tantum sint Theologorum labor, & autorem unum vel alterum saltem Theologum habeant?*

Ita habent *Neostadienses in Admon. p. 143. 336. & 341.* nec non *Hospinianus in Concord. Discord. fol. 77. & 78.* idque eum in finem, ut libros hosce ab omnibus & singulis approbatos esse, eo melius possint inficiari; Sed injuriam Symbolis nostris faciunt. Concedimus quidem non omnes & singulos Ecclesiæ nostræ Theologos Symbolicis Libris manus admovisse, hoc enim *αδύνατον* fuisse ipse communis sensus docet. Si enim in unum omnes congregandi fuissent Theologi, alter alteri impedimento magis fuisset, quam certi quippiam potuissent efficere. Interim sufficiat nobis, quod Autores sapius laudatorum Scriptorum nihil tentarint proprio ausu, sed ad munus suum subeundum ab ipsis Electoribus & Principibus rite fuerint vocati; quinimo quod illorum etiam Scripta non tantum omnibus & singulis ad perlegendum fuerint communicata, sed ab iisdem etiam approbata & sua subscriptione confirmata.

V. *An ad Libri Symbolici confectionem præcise requiratur, ut Synodus convocetur, in qua secus docentes audiendi prius, quam in conscripto libro condemnentur?*

Sic statuit *Alstedius in Theolog. Polemica pag. 250.* & in toto volumine *Hospiniani* nullum ferme caput occurrit, in quo non fiat mentio Synodi in qua audiri prius, quam damnari debuissent adversarii nostri. Et sane speciosa admodum hæc sententia primo intuitu videtur quidem, at, si ad veritatis lancem paulo accuratius eam perpendas, facile apparebit quod omni careat fundamentis

Primo

Primo enim nulla lex neque divina neque humana prohibet, quo minus etiam extra Synodum Orthodoxi in puram aliquam & sinceram doctrinæ formulam consentire, eamque subscriptionum collectarum testimoniis munire, & ad omnium adversariorum errores eo melius deprimendos edere possint. Deinde praxis etiam totius primitivæ Ecclesiæ in contrarium abijt. Fuerunt sane jam inde ab ipsis Ecclesiæ primordiis quamplurimi in publicis Scriptis condemnati Pseudo-Doctores, qui tamen ad publicam Synodum nec vocati nec in illa unquam auditi fuerunt, ut Hymenæus & Philetus, Simon Magus, Ebion, Cerinthus, aliique quorum mentionem faciunt *Epiphanius*, *Philastrius* & *Augustinus*. Quibus omnibus etiam accedit, quod in Symbolicis Libris non personæ sed errores tantum damnentur, qui cum vel expressis literis vel per legitimam consequentiam in Sacro Codice jam tum sint reprobati, quid opus est peculiarem eapropter convocare Synodum? Inprimis cum experientia rerum omnium optima magistra satis superque testetur, Heterodoxos in Synodi sententia nunquam acquievisse, sed ad aliam subinde congregationem provocasse.

VI. *Quid statuendum de condemnationibus qua in Libris Symbolicis & inprimis Formula Concordia reperiantur, & num verbum damnamus durius sit, quam ut tolerari possit?*

Sunt qui condemnationes hæc ægerrimè ferunt & valde de illis conqueruntur. Sed audiamus ipsum *Librum Concordie* hisce verbis mentem suam explicantem: *Nequaquam nostrum consilium est eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemii in veritatem doctrinae Cœlestis sunt, multo verò minus totas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio, nationis germanicæ, vel alibi sunt, damnare: Quin potius mens atq; animus noster fuit, hac ratione fanaticas opiniones & earundem pervicaces Doctores & blasphemos duntaxat palam reprobare & damnare: Quod illi errores expresso DEI verbo repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Deinde eam etiam ob*

causam hoc suscepimus, ut pii omnes de his diligenter vitandis monerentur. Distinguit nimirum satis accuratè *Liber Concordiæ* primò inter ipsos pervicaces Doctores, qui de industria errores suos pertinaciter propugnant; & inter rudiores, qui per simplicitatem & ignorantiam seducuntur: Illos damnandos esse putat, hos non item. Deinde ostendit etiam à damnatione pervicacium Doctorum hoc loco non esse argumentandum ad damnationem totius Ecclesiæ, cum nullum sit dubium, in ipsa etiam errantium ecclesia quamplurimos esse, qui genua non curvant coram Baal, neq; Doctorum suorum errores approbant. Tandem addit etiam *Concordiæ* condemnationum illarum nullum alium finem esse, quam quod errantes ipsos ἐπινοηθῶνδῶν sive correctorium; quod nostris auditores autem attinet διδασκῶνδῶν sive informatorium, ut ab istiusmodi erroribus sedulo sibi caveant. Et sane condemnationes hoc pacto explicatas licitas esse & ritè in Formula Concordiæ usurpatas, probatur (1) à *Ministorum Ecclesiæ officio*, quod non tantum est oviculas suas pascere, sed & lupum arcere ne oviculis magis magisque noceat. (2) à *mandatis DEI* Ezech. III. 17. Christi Matth. VII. 25. Apostoli Rom. XVI. 17. I. Tim. I. 3. II. Tim. II. 25. Tit. I. 10. 13. (3) à *praxi perpetua Prophetarum* Ezech. XXXII. 21. I. Reg. XVIII. 17. Esa. LVI. 10. 11. Jerem. XXII. 15. XXIX. 8. Johannis Baptistæ Matth. III. 7. Christi Matth. VII. 15. Cap. XV. 14. XXIII. 43. Apostolorum Act. XX. 30. I. Cor. X. 21. Cap. XV. 36. II. Cor. XI. 13. Gal. I. 8. &c. &c.

VII. *Quid de juramento religionis, quo recens vocatus & in publicum officium introducendus se ad Libros Symbolicos obstringere tenetur, statuendum? & num illud fundamentum habeat in Sacro Codice?*

Juramentum religionis primo intuitu vinculum videtur conscientiaë esse. Si autem accuratius paulo consideratur, nullum est dubium, quin jam olim in Ecclesia V. Testam. usu fuerit receptum. Quam enim *Dent. XXIX. vers. 12.* fidelis ille DEI servus

servus Israëliticum populum adhortatur, ut in fœdere Domini & in jurejurando incedant, quid istiusmodi jusjurandum aliud quam juramentum religionis fuit? Et cum *Nehem. X. v. 29* reduces facti ex captivitate Babylonica Judæi se ambulaturos jurarent in Lege Domini, quid aliud quam juramentum religionis præstiterunt? Addantur hic Historiæ *II. Reg. XXIII. & II. Paral. XV. & XXIII.* Morem Ecclesiæ V.T. imitati sancti DEI Viri in prisca & primitiva Ecclesia, ceu videre est apud *Eusebium in Histor. Eccles. Lib. VI. cap. 35.* & *Gregorium Nazianzenum.* Horum vestigia deinceps presserunt *Lutherus, Justus Jonas, Pomeranus &c.* & juramentum introduxerunt religionis ad simulationes in religionis professione & periculum corruptionis Ecclesiæ per ingressum falsorum fratrum avertendum & præcavendum. Quo ipso illos non peccasse, nec contra Scripturæ præscriptum egisse, ut omnibus appareat, pro juramento religionis sequens necimus ratiocinium: Cujuscunque juramenti causæ omnes bonæ sunt & legitimæ, illud non potest esse illegitimum & sacro Codici contrarium. Atqui juramenti religionis omnes causæ bonæ sunt & legitimæ: *Efficiens* enim est Magistratus Ecclesiasticus, qui potestatem habet juramentum exigendi. *Materia* est vera, sincera & pura religio, quam jurans se amplecti & in æternum usque amplexurum confirmat. *Forma* est religiosa nominis divini invocatio. *Finis* ut DEI gloria promoveatur & Ecclesiæ tranquillitas conservetur; Ergo juramentum religionis non potest esse illegitimum & sacro Codici contrarium.

Denique VIII. quæritur adhuc: *An necessarium sit ut obligatio, quæ Libris Symbolicis fit, absoluta sit? num verò sufficiat si hypotheticè saltè & cum hac conditione vocatus se obliget: quatenus scilicet Libri Symbolici cum Sacra Scriptura consentiant?*


Obligationem ad Libros Symbolicos hypotheticam & cum conditione hoc loco sufficere, inde videtur probari posse, quod Scriptura Sacra sit *ἀπόρρις* & fidem per se, reliqui libri Symbolici


bolici non per se, sed *in quantum Scriptura Sacra conformes reperiuntur*, fidem mereantur. Quippe sola & unica Scriptura Sacra ex immediata Spiritus Sancti inspiratione conscripta est, cum Libri Symbolici humano tantum studio sint concinnati, & quicquid habent autoritatis à Scriptura Sacra & ex eo habeant, quod, quæ continent, Scripturæ congrua sint. Verum hoc non obstante obligatio ad Libros Symbolicos absoluta debet esse, & non conditionata, eam ob causam, quod hi, qui ad illos tanquam Ecclesiæ Symbola se obligant, cognitum debeant habere illos cum Scriptura Sacra in omnibus convenire & conditionem proinde ut impletam præsupponere. Quemadmodum autem conditio impleta non facit propositionem conditionatam sed absolutam; ita illi, qui cognitum habent, quod Libri Symbolici per omnia cum Scriptura Sacra consentiant, illis tanquam libris, de quorum consensu jam constat, non aliter quam absolutè & sine omni conditione subscribere possunt.

TANTUM.



EXER.





(11)

rtius errant *Antiscripturiani*, qui totam Sacram
ejiciunt & dicunt, *Eundem se Spiritum cum Pro-*
tolis habere. Quare omnes libros & eruditio-
t, ac conciones & Ecclesiastica exercitia reji-
ritu contenti. Sed hi non sunt adeò numerosi.
ntur *Shakeri*, sive *Quackeri*, omnium Enthu-
ludies. Hi putant se jam in hâc vitâ planè per-
omnibus peccatis mundos, nec aliud cœlum
in corde suo sentiant, vel infernum, quàm ho-
redunt. Nihil igitur restare, nisi ut corpore
liberentur. Frequenter in tantas incidunt
oto corpore contremiscant, quia, ut perhi-
ndinem illam lucis & splendoris Divini, quo
erferre nequeant vel intra se continere: &
am clamant ac reboant, ut homines pariter
nimantia inde terrore exiliant. Postquam ex-
& ad se redeunt, de immensâ gloriæ illius
lta & magnifica jactant, ignaro popello sum-
ne auscultante, & similem beatitudinis sen-
e. Sed & hi non ita pridem in Walliâ, ubi
m erat copia, publicè pro concione, erro-
policarum abominationum convicti, bonis
& abominationi esse incipiunt, nec dubium
erminatum iri, modò Magistratus aliquantò
os animadverteret.

annium turpissimi & impientissimi sunt. Hi
endorum Regulam habent quàm propriam
libi-

B 2

